

B. M. II, 298.

495, 27.

X 1880 398

II m  
734

h. 57, 22. DISSERTATIO JURIDICA,

quam

OCCASIONE NOVELLAE XLVII

DE

# INDICTIONE ROMANA

Non

Römischer Sinßzahl!

Permissu

Illustris Facultatis Juridicæ

hujus almæ Salanæ,

SUB PRAESIDIO

VIRI

CONSULTISSIMI,

DN. HEINRICI Lindens/

J. U. D. & Pract.

Fautoris & Præceptoris sui

sanctæ devenerandi,

in AUDITORIO ICTORUM

publicæ disquisitioni

subjicit

GOTTERIDUS Göppfner/

MOLHUSA-THURINGUS.

AUTOR.

ad diem Julij ANNO 1673.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

JENÆ, Typis MÜLLERIANIS.



## P R Æ F A T I O.

**S**I quicquam ad feliciorum actionum humanarum expeditionem facere potest, illud sane tempus erit, quapropter ejus præcipua habenda est ratio. Non solum enim in prima creatione conditor hujus universi, rerum vicissitudinem inducens, simul temporum determinationem constituit, Gen. I. v. 14. Sed & Ecclesiastes c. 3. v. 1. quibusvis negotiis certum tempus assignat in verbis: *Cuique sua est tempestas, & tempus cuique voluntati sub caelis*; Innuens plurimos hominum actus tempestivitate neglectâ pravos, temporis autem opportunitate observatâ licitos esse ac mereri veniam. Hinc & Sapientissimi quique Viri acerrimè invehuntur in eos, qui Temporis, cujus jactura irreparabilis est, pretiositatem minimè, ut par est, expendentes, inutiliter consumunt, nec sibi nec aliis prodesse laborant. In eo, inquit Senec. *de Brevit. vit. c. 3.* profusissimi, cujus unius honesta est avaritia. Quare nihil magis olim Philosophi juvenum animis imprimere nitebantur, quàm: *Nosce tempus, Parce tempori &c.* ut ejus præstantiam ob oculos ponentes nullum sine lineâ punctum prætermittere, sed potius omne in res utiles ac necessarias impendere discerent, ne aliquando desidis illius epiphonema: *O mihi præteritos referat si Jupiter annos!* exclamare necesse haberent. Hoc Zenoni, hoc Theophrasto, hoc Sapientissimis quibusvis in ore semper fuit, suisque sectatoribus tanquam principium ad vitam beatam consequendam efficacissimum præscribere soliti sunt. Et certum omnino est, quod nihil ferè majorem in rebus humanis habeat vim, quàm temporis vicissitudo ac varietas. Tempus enim nos exhilarat, idem &

mærores affert, Tempus vere novo campos rosis exornat,  
idem & iis privat, verbo: Tempus mutat omnia; Hinc & in o-  
mnibus rebus benè feliciterque constituendis, expediendis ac  
tractandis tempori inserviendum esse, ipsa natura dicitur.  
Cultui Divino per determinationem Sabbathi ac festorum an-  
niversariorum suum constitutum est tempus, quod sine ani-  
mæ dispendio profanare non licet; Nec indistinctè judicia ex-  
ercere, negotia, secularia expedire, sed tempore convenienti  
demum hæc omnia rectius peragere permissum. Et quis non  
videt agriculturam, sationes, messes, vindemias, propagatio-  
nes in tempore utiliter exerceri, eò vero neglecto aut calore  
aut congelatione prorsus interire? Annon palàm constat, quo-  
tidiani victus usum nihil prodesse nobis, ac nocere potius nisi  
in tempore sumamus? Atque sic optima ratione tum spiritua-  
lium, tum forensium ac omnium humanorum negotiorum  
expeditio tempestivam exposcit occasionem, quam, si quis  
immutare velit, summam rerum confusionem introducere &  
commodè vivendi rationem è medio tollere videbitur. Hoc  
probè perpendentes Romani non solum judiciis exercendis  
certa temporum intervalla præfixerunt, sed & summæ ad  
Rempubl. redundantis utilitatis intuitu assignarunt tributis ex-  
solvendis, ceu ex INDICTIONIS ROMANAE, Germ. Römer Zins-  
jahl / introductione fusius patet, ut hac ratione subditi præfer-  
tim municipales & extranei res suas domesticas in tempore pro-  
curent, quò tributa iis imposita eò facilius ac promptius Magi-  
stratui offerre queant. Viderunt quippe Romani, subitanam  
civilium pensionum indictionem sæpè cum magnà facultatum  
deminutione conjunctam esse, certà autem ejusmodi tem-  
poris constitutione introductà, subditos onerum civilium me-  
mores tributa sponte, sine ullo patrimonii præjudicio, fore  
præstatueros. Ut autem terminus ille pensionibus præstandis  
præ-

præfixus eò melius in omnium perveniret notitiam, receptum est, ut Instrumentis insereretur ista *Romanorum Indictio*, id quod satis confirmat Justiniani *Novell. 47.* quæ solennitas nec hodiè in usu esse desiit, sed adhuc rigidè observatur à Notariis, quorum plurimi saltim ex usu recepto Indictionis mentionem faciunt, naturam autem ejus exactè vix intelligunt. Quare ejus conceptum ac usum Juridicum tam antiquum quam novissimum, præmissâ prius ipsâ *Novellâ* expressum Imperatoris de Indictione in documentis apponendâ sancitum continente, methodicaque ejus explicatione, in sequentibus breviter, faxit DEUS feliciter! tradituri sumus.

NOVELLA CONST. XLVII.

*Imperator Justinianus Augustus*

*Joanni Præfecto Prætorio, iterum*

*Exconsuli & Patricio.*

PRAEFATIO.

ILLud omnium honestius esse putandum documentum & gesta, & quod omninò pro temporis memoriâ hominibus adinventum est, quod ipsâ quoque commemoratione ornatur imperii. Consules etenim & *Indictiones* & quodcunque indicium temporum omninò est apud nos, sunt quidem forsan & hæc significativa horum quæ volunt, non tamen nos aliquid horum perimimus, sed majorem adjectionem eis imponimus, ut ex majoribus & perfectioribus eis temporum designetur cursus, &c.

CAP. I.

VNde sancimus, eos quicumque gestis ministrant, sive in judiciis, sive ubicunque conficiuntur acta, & tabelliones, qui omninò qualibet formâ Documenta conscribunt, in hac magnâ civitate, sive in aliis gentibus omnibus, quibus nos præsidere dedit DEUS, hoc modo incipere in Documentis: *Imperii*

illius sacratissimi Augusti Imperatoris anno tanto: & postea inferre  
Consulis appellationem, qui in eo anno est, & tertio loco Indictio-  
nem, mensem & diem: Sic enim per omnia tempus servabitur,  
& pro imperii memoria, & consulatus ordine & reliqua obser-  
vatione interposita Documentis inadulterata hæc valdè confi-  
tuentur.

§. I. Si qua vero apud Orientis habitatores aut alios homi-  
nes observatio custodiatur in civitatum temporibus, neque huic  
invidemus, sed præscribatur quidem imperium, sequatur vero,  
sicut dictum est, Consul & Indictio atque mensis & dies, secun-  
dum quam geruntur & conscribuntur quæ aguntur, & tum in-  
feratur etiam civitatis omnibus modis annus: Nos enim auferi-  
mus quidem priorum nihil, imperiali vero additamento cau-  
sam augemus. Et inchoetur mox autore Deo à præcedente pri-  
mâ Indictione ita quodammodo eis scribentibus: Imperii Justiniani  
Sacratissimi Augusti & Imperatoris anno II. post Consulatum Flavii Beli-  
sarii clarissimi, viri anno 2. die autem tot & tot. Kal. & c

## CAPUT I.

### exhibens methodicam hujus Novellæ explicationem.

#### §. I.

Appositam nostram Novellam breviter methodicè tamen ex-  
plicaturi, dispescimus in *Inscriptionem* & *Novellam* ipsam. *In-*  
*scriptio* tria continet: *Denominationem*, *Autorem* & *eum*, ad quem  
*scripta est*.

Denomi-  
natio  
Novella-  
rum.

§. II. *Denominationem* quod attinet, vocatur Novella, ut fa-  
cile patet ἐλλειπτικῶς subintellecta voce Constitutionis aut De-  
cisionis vel etiam Legis. Quâ occasione observandum, quod  
postremæ Justiniani Constitutiones, quæ post Codicem, Pan-  
dectas & Institutiones sparsim promulgatæ sunt, *Novellæ* dicun-  
tur, non ideò, quod nova atque à veteribus distincta jura con-  
tineant, ut putat Cedrenus, sed quod post Codicis repetitæ  
prælectionis confectionem novissimè sint editæ; Hinc nihil aliud  
sunt, quam posteriores leges, quæ prioribus superadditæ sunt,  
sive

sive prioribus derogent, sive eas abrogent, sive quid novi juris  
constituant, sive etiam vetera & priora jura tantum confirment.  
Sicuti enim non semper novum dicitur, quod ab antiquo est diver-  
sum, sed & interdum illud, quod de veteri participat, *arg. §. 3. Instit. quib. mod. toll. obl.* Ita & Novellæ non semper dicuntur, quæ novum  
jus constituunt, quandoquidem hoc de substantia earum non  
est; Sed & interdum, quæ illud, quod ante obtinuit, confirmant  
ac renovant, usu & necessitatibus reipubl. id exigentibus. Non  
autem putandum est, ac si postremis hisce Constitutionibus  
Novellarum nomen primitus sit inditum, nam & olim Legibus  
post primas sancitis id tributum fuisse, apparet ex eo, quod  
plurimæ Constitutiones Codici repetitæ prælectionis insertæ in  
Const. Just. *de Emend. Cod. Justin. §. 2.* vocentur Novellæ, quod  
post Codicem Justinianum noviter ab Imperatoribus fuere  
constitutæ ac Codici posteriori insertæ, *ad d. l. 29. & l. 34. in fin. C. de Inoff. test. l. 29. in fin. C. de Testam.*

§. III. Ictas autem Constitutiones Imperator non ut ante  
factum peculiari systemate comprehensas edidit, sed post mor-  
tem ejus collectæ demum in lucem prodierunt. Et hoc exinde  
patet, quod generale aliquod præmium & Constitutio confir-  
matoria Novellarum desit, quæ tamen cæteris juris libris sem-  
per adjecta est, hocque ipsum argumentum nobis præbet, eas  
post mortem demum Imperatoris ab alio quopiam collectas, at-  
que in hoc opus congestas fuisse. *Editio* illarum plus vice simpli-  
ci facta est, circa quam ab initio notandum, quod *hæc nostra No-*  
*vella* cum aliis fermè omnibus *Lingua Græca* conscripta fuerit,  
paucissimæ namque excipiuntur, quæ Latino constant stylo, ut  
diligentissimè annotavit Anton. August. *in Paratit. Novell.* Ratio-  
nem suppeditat Fr. Balduin. *in Protheor. ad N. Const.* adeoque Græ-  
cus textus omnium confessione pro fonte habendus est, inte-  
rim diu latuit, velut obrutus ac sepultus tenebris Bibliotheca-  
rum Græcarum & Italicarum, ut ita per aliquot secula caruerit  
Græco & authentico Novellarum textu orbis Christianus, non  
sine insigni juris detrimento, usque dum avorum nostrorum  
memoria, ubi alia plura vetustatis monumenta erui & in lucem  
proferri ceperunt, hæc quoque seculo nostro contigit felicitas.

*Quando  
Novellæ  
collectæ.*

*Editio  
Novellæ  
Græcæ.*

Pri-

Primavero laus hac in re non immeritò debetur Gregorio Holoandro, qui ut corrupto juris civilis libros accuratiores reddidit, ita & primus Novellarum textum authenticum Græcum ex libro *Bononiensi*, qui ex manuscripto Florentino depromptus fuit, in lucem protraxisse, ac in Latium vertisse fertur sermonem, unde hujus Viri operâ *prima Editio Græco Latina*, quæ ab ejus nomine *Holoandrina*, ac à Senatu Norico, qui huic operi sumptus subministravit, *Norica* nuncupata est, in lucem prodiit anno à nato Chr. 1531. Cum autem primâ statim vice non potuerint omnia ad perfectionem omnibus numeris absolutam redigi, longo tempore post Henricus Scrimgerus ex pleniori manuscripto Venetiis nactò defectum Holoandrinæ supplevit, ac perfectius exemplar edidit apud Henricum Stephanum dictum *Scrimgerianum*. Tandem cum universo Juris Corpore aucta illa Editio prodiit Antverpiæ anno 1575. apud Christoph. Plantinum cum *præfat. Lud. Charonda.*

*Versio Novell. latina alia est Juliani.*

*alia vulgaris.*

§. IV. *Latinas Versiones* quod concernit, illarum *prima* fuit *Juliani*, Antecessoris & Jcti tempore Justiniani celeberr. qui Novell. non verbotenus, sed compendiosè ac succisè, ipsâ saltim Constitutionum summâ retentâ, in Epitomen redegit, quæ postea aliquoties reiterata ac à variis autoribus prelo excusa est. *Alterâ* Novellarum Versio Latina, quâ Accursius & Interpretes utuntur, edita est ab autore incerto latini Sermonis forsan ignaro, ut conjicit Molinæus *de Usur. quest. 1.* quæ ferè sola hodiè circumfertur in Corpore juris, & in novem collationes distincta est; Illam tamen Alciat. *in Edit. Nov. Holoand. in Epist.* Barbaram dicit, ut qua verbum verbo satis quidem fideliter, sed non satis feliciter redditum, quamvis ejus auctoritatem ex antiquitate commendet Cujac. *lib. 4. obs. 38.* Atque illam Juliani Epitomen & hanc plenioram Latinam Versionem ad verbum translata ita inter se opposuerunt Dd. qui Bulgaro fuerunt coætanei, ut *Juliani Epitomen* suppresso nomine Juliani allegarent titulo Novellarum; Latinam vero versionem authentici nomine indigitarent, ut ita apud illos Novellarum nomen quanquam vetustissimum desierit frequentari, & ejus loco usurpatum fuerit nomen Authenticorum, quod tamen ab initio neque Justinianus neque Tribonian-

nian  
Epit.  
tersh  
natio

nim  
rum  
vita,  
gesti  
Con  
que  
Orat  
aliis.

pate  
Erat  
teris  
tope  
verfi  
mag  
tant  
riam  
testa  
L. un  
fung  
§. 1.  
§. ult  
Mag  
l. 17.  
nes  
stus  
iterun  
su, q  
perat  
rebat  
bant

nianus unquam ipsis imposuerat. Vid. Ant. August. in pref. ad Epit. Julian. Arthur. Duk de usu & aut. jur. civ. lib. 1. c. 4. §. 16. & Rittershus. ad Nov. Prooem. c. 1. & 4. Et hæc obiter ductu Denominationis Novellarum adjicienda esse putavimus.

§. V. Autor nostræ Novellæ quis sit, patet ex Inscriptione, *Autor*, nimirum *Justinianus Imperator*, qui & Institutionum, Digesto-*Novella-*rum ac Codicis, totiusque Juris Corporis autor est; De hujus *rum.* vita, moribus ac rebus tam pacis quam belli tempore præclare gestis ut plura dicantur, instituti nostri ratio non permittit. Consulatur Dissert. Dn. Præsidis de Anatocismo c. 1. n. 1. & seq. ibique alleg. Matth. in Theatr. histor. ad vit. Justin. c. 2. cum Giphan. in Orat. sive Comment. ad Imp. Justinian. Procop. Paul. Diacon. Zonar. & aliis.

§. VI. Scripta est hæc Novella, ut itidem ex inscriptione *Ad quem* patet, ad *Joannem Præfectum Prætorio*, Exconsulem & Patricium *Novella* Erat hic Johannes natione Cappadox, ut ut Justiniano præ cæ-  
47.  
*scripta.* teris charus & acceptus, affectibus nimis deditus, divitiis tantopere inhians, ut odium totius populi Constantinopolitani adversus se concitaverit, rudis quidem, at nihilominus propter magnam indolem & naturæ, quâ pollebat, vim excellentem ad tantum honoris fastigium evectus, ut supremâ post Imperatoriam dignitate gauderet; In tantum enim præfecti prætorio potestas primis temporibus admodum exigua *l. 2. §. 15. 19. de Or. jur. l. un. pr. de Off. pref. prat.* excreverat, ut ipsius Imperatoris vice fungeretur, ac nulla ab ejus sententiâ valeret provocatio *d. l. un. §. 1.* Atque ad hujus muneris præcellentiam refert *JCtus in d. l. §. ult.* quod à sententiis præfectorum minores ætate non ab aliis Magistratibus, sed ab ipsis solis præfectis restitui potuerint, *add. l. 17. de Min.* Quorum autem prætoriorum præfectus fuerit Joannes, indicat rubr. *Nov. 1.* quæ habet: *Imperator Justinianus Augustus Joanni Gloriosissimo sacrorum per Orientem Prætoriorum præfecto, iterum Exconsuli & Patricio.* Patricius dicitur Joannes non eo sensu, quô vulgo uti consuevit, sed quod fuerit proximus post Imperatorem Consiliarius, quibus hæc Patriciatus dignitas conferbatur, ipsis Imperatores specialem quasi reverentiam deferebant, ac eô ornatos parentum nomine dignabantur, *§. 4. Inst. quib.*



quib. mod. jus. patr. pot. solv. l. 5. C. de Cons. Quod Claudiano Lepidi  
joci materiam tribuit, Is enim in Eutropium Patricium, cujus  
bona publicata & in fiscum coacta erant, sic ludit:

*Direptas quid plangis opes, quam natus habebit?*

*Non aliter poteras Principis esse pater.*

atque hæc de Inscriptione Nov. dixisse sufficiant.

Quid con-  
tineat

Nov. 47.

§. VII. Ipsam Novellam quod concernit, agit ea de forma &  
clausulis solennibus cuilibet Instrumento inserendis. Et qui-  
dem non incommodè diviseris eam in *Præfationem* & ipsam *Con-  
stitutionem*. In illâ ostenditur, non inepte in Instrumentis & acti-  
bus tam judicialibus quam extrajudicialibus, ac omnibus aliis  
negotiis, in quibus temporis designatur cursus, anni quoque  
Imperatoris mentionem fieri, atque ut hoc confirmet, incipit  
Imperator à Romani imperii cunabulis, ac prosperum ejus pro-  
gressum fufius persequitur, tandemque concludit, absurdum  
fore, in Documentis & in iis, quæ in judiciis aguntur, & abso-  
lutè in omnibus, in quibus memoria quædam fit temporum, non  
imperium his præponi; Hæc iterum est bipertita, ac in priori  
ejus parte præcipitur, ut omnes tabelliones & scribæ tam in ur-  
be quàm provinciis, qui negotiis civium dant operam, ut ea de-  
scribant, Documentis sive Judicialibus sive extrajudicialibus  
præponant (1.) nomen Imperatoris ejusque imperii annum (2.)  
inferant Consulis appellationem, qui in eo anno fuerit, (3.) *an-  
num Indictionis* (4.) mensem & (5.) mensis diem. Neque hæc sine  
ratione præcipit; Sic enim, ait, imperii memoria & consulatus  
ordo non solum conservatur, sed etiam ipsa Instrumenta ab om-  
ni falsitate incorrupta præstantur, quarum rationum prior ab  
honesto, altera ab utili ducta est. Quia vero apud nonnullos  
alia quoque recepta erat consuetudo, ut Instrumentis etiam  
Urbium tempora à primo earum ortu computari solita, infere-  
rentur, Imperator quoque hunc morem præter superius recen-  
sita capita retineri jubet, quippe qui priori consuetudini nihil  
detrahere, sed aliquid potius addere voluit. *Alteram Constitu-  
tionis partem* ad scopum nostrum parum facientem cum Epilogo  
brevitatis gratiâ præterimus.

CA-

CAPUT II.

De Indictione in genere, ejusque duplici significato.

§. I.

Cum ex dictis manifestum sit, quod ex Constitutione Justiniani ad solennem Documentorum formam tam necessaria sit Indictionis appositio, ut nullis literis, privilegiis, aut Instrumentis fides habeatur, quibus ejus numerus non est assignatus, id quod etiam Constit. Maximil. vom Unterricht der Notarien zu Colln de anno 18. 2. §. und nach dem von gemeinen Rechten etc. quoad usum modernum confirmat, ideoque ejus naturam paulò accuratius jam investigabimus.

Indictio-  
nis in Do-  
cumentis  
appositio  
necessaria  
est.

§. II. Dictam vero vult Onuphr. Panvin. Indictionem non ab indicendo tributo, sed ab indicando, ita ut Indictiones perinde dicantur ac Indicationes, quod Constantino cælitùs ostenso crucis signo victoria de Maxentio significata & indicata fuerit. Verùm rectiùs ab aliis deducitur ab Indicendo, quod sc. determinata temporis periodo ad finem tendente vel etiam plenè finitâ universæ ditionis Romanæ subditis annunciatum & indictum fuerit, ut tributa pro ratione facultatum iis imposita sine exactione in fiscum Romani imperii inferrent.

Unde di-  
catur  
Indictio.

§. III. Ut autem eò melius intelligamus, quid & quotumplex Indictio fuerit, prænotandum erit, TRIA fuisse pensitationum Romanæ genera, ex quibus ærarium Reipublicæ Romanæ constabat. Sicut enim Imperatores Romani ex devictis Germaniæ provinciis triplicem perceperunt pensionem, quarum una Vectigal, fuerint altera Tributum, tertia vero redditus dicta fuit, uti latius demonstrat Lehmann. in Chron. Spir. lib. 1. cap. 10. per tot. quod propter varia notabilia ibidem proposita notatu dignum est; Ita quoque ex aliis provinciis Romani imperii tria perceperunt Collectarum genera, Canonem sc. Oblationem & Indictionem. In Canonem referebantur omnes ordinarii redditus, v. g. portoria, vectigalia, omniaque alia fisco quoquo jure, ordinario tamen, cedentia. Oblationes, hodiè subsidia dicta, erant largitiones & auxilia

Pensitatio-  
num Ro-  
manarum  
quoniam  
genera.

pidi  
jus  
a &  
qui-  
on-  
cti-  
aliis  
que  
cipit  
pro-  
lum  
bfo-  
non  
riori  
ur-  
a de-  
ibus  
n(2.)  
an-  
fine  
latus  
ab o-  
or ab  
ullos  
tiam  
fere-  
cen-  
nihil  
stitu-  
ilogo  
CA-

*Superindictio quid.*

*Indictio quae est tributum, describitur. Quomodo imposita fuerit indictio.*

*Pertinet ad munera realia Indictio.*

à subditis Principi præstita ex poculentis, esculentis, & venditione mercium; *Indictiones* vero erant *Collectæ*, quas Princeps proprio Edicto indicendo populis imperabat, & solvebantur per tres separatos terminos singulis quindecim annis divisim in tria lustra, h. e. in tria quinquennia, ex quibus illi quindecim anni constabant. Cujac. *ad Nov. 149. cap. 1.* Dn. Brunn. *ad l. 1. C. de Indict.* Quandoque *Indictiones* augebantur *Superindictionibus*, quæ nihil aliud erant, quàm augmentum *indictionis* & contributionis ordinariæ ex publica necessitate impositum. Hoc nomen tamen, tanquam odiosum, paulò post sustulerunt, & *superindictum* quoque *Indictionem* & *Canonem* vocarunt. *l. 1. C. de Indict.* vid. Dn. Brunnem. *ad l. un. C. de Superind.* & Perez. *ad C. eod. tit. n. 1.* Alias *Indictiones* quoque vocantur *Collationes* in *l. 2. §. 2. de Usufr. it. Tributum in l. ult. §. 2. de Conf.* nec non *Collectæ* Cic. *l. 2. de Orat.* Et nihil aliud fuerunt, quàm hodiernæ *collationes*, *Steuren* / ut cum Budæo notat Modestin. *Pistor. Vol. 1. Consil. 4. n. 12.*

§. IV. Liceat igitur *Indictionem* describere, quod fuerit *annona* seu *tributum*, h. e. *annonaria* seu *tributaria* *functio*, vel certa *tributi* species, *subditis* pro modo facultatum imposita, Inde liquet (1.) non omnibus æqualiter *Indictionis* munus fuisse impositum, cum inæqualis fuerit *subditorum* substantia. Certum quidem illud est, nullum fuisse habitum *discrimen* pauperum ac *divitum*, sed quemlibet ad hujus oneris præstationem *Edictum* obligasse; Veruntamen certa ejus *quantitas* specificè non constituta, sed ex *diversis* patrimoniorum viribus æstimata fuit, Unde & Alciat *in l. Int. publica. de V. S.* *Indictionem* dicit esse id, quod *Edicto* Principis *subditis* indicitur, ut plurimum certam *quantitatem* non complectens, procul dubio propter bonorum *diversitatem*, secundum quam præstanda fuit. (2.) liquet, non esse *Indictionem* accensendam *muneribus* personalibus, cum nec animi aliquâ *provisione* nec *corporalis* laboris intentione sine aliquo *gerentis* detrimento potuerit expediri, sed *Realibus* seu *Patrimonialibus*, eò quod fuerit *indicta* bonis possidentium ita, ut certa *pensio* ratione illorum certo tempore, quod erat *quinquennium*, solvenda esset. Perez quidem *ad C.*

*de*

de Jud. n. 6. eas refert ad onera mixta propterea, quod quidem directò rem ejusque æstimationem respiciat, sed obligatio & vinculum solvendi personæ adhæreat; Verum hac ratione omnia munera patrimonialia ad mixta essent revocanda, cum à personis rerum possessorum intuitu exigantur, ita tamen, ut causa movens res ipsa sit;

Quapropter alii probabilius Indictiones ad munera realia referunt, juxta *l. fin. C. de mun. patr.* Vid. Dn. Eckolt *ad Pand. tit. de mun. & hon. §. 5.* Alias differentia inter munera personalia, patrimonialia & mixta ex perfectione *cit. loc. & §. seq.* ut & Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 50. th. 69. & seq.* hauriri poterit.

§. V. Erant autem primis temporibus Indictiones onera *An ad or-* extraordinaria, quæ superior extra ordinem extrema necessita- *dinaria* te coactus, ad tempus imponebat, unde temporariæ indictæ *vel extra-* sunt, ut patet ex *l. 28. de Usuf. leg.* Verùm cum eadem necessitas *ordinaria* diu duraret, nec melior Reip. status appareret, factæ sunt post- *munera* modum pensitationes ordinariæ, h. e. tales, quæ lege certam *indictio re-* quotannis recurrentem ac statutam accepere præstationem, *feratur.* adeò ut iis aliud nomen imponeretur, & vocarentur Canon. *l. 1. C. de Indict.* vid. Besold. *in Thes. pract. sub voc. Steuer / Schagung.* Quare nullam domum vel sacri patrimonii vel emphyteutici juris vel hominum privatorum, etiamsi privilegium aliquod habere doceatur, ab hac necessitate eximit *d. l. 1. C. de Ind.* quia hoc onus ordinarium factum, cum singulis annis exigi potuerit, ac nemo prætextu dignitatis ab ordinariis se excusare possit. *l. 5. & 10. C. de ann. & trib.*

§. VI. Et retinuit quoque usque ad hæc nostra tempora in- *Quid ho-* dictionis munus ordinariam præstationem; Quod enim Roma- *die Indi-* nis Indictio dicta, illud hodiè generali appellatione juxta supe- *rtioni re-* rius monita vocatur Collecta, eine Steuer / quæ est contributio *spondeat.* publica pro reip. commodo vel necessitate à Magistratu indicta. Collectam autem intelligo eam, quam quotannis pro bonis ac possessionibus solvunt subditi *Jährliche Anlage / Schagung / Steuer* / ut discernatur ab eà, quæ statutum tempus non habet, sed necessitate cogente exigitur, quæ & olim ab ordinario In- *Indictio* dictionis munere fuit diversa. Collectæ namque hodiè aliæ sunt *ord-*

ordinariæ, quæ à lege certam sive quotannis sive casu determi-  
nato emergente recurrentem ac statutam habent præstationem,  
ut paulò ante innuimus, aliæ extraordinariæ, quæ extra ordinem  
ob casum necessitatis imponuntur; Utræque iterum vel Univer-  
sales sunt, Reichs Steuren / vel Circulares, Kreis Steuren / quæ  
propter negotia circularia imponuntur, vel Provinciales Land  
Steuren / quas Status imperii pro utilitate provinciæ & territo-  
rii sui subditis suis indicunt, de his autem omnibus ut differa-  
mus, propositi nostri non est. Consulatur Klock. *de Contribut.*  
Dn. Fritsch. *in Man. Jurispr. publ. sub voc. Collecta.* Wehner *in Sup-*  
*plem. Observ. Pract. sub voc. Steuer / & Befold. in Thesaur. sub eod. voc.*  
ubi plura exhibet.

*Indictio-  
nem præ-  
cesit de-  
nuntiatio.*

§. VII. Ne verò improvisa tributorum indictorum exactio  
dispendium Provincialibus afferret, ideoque indictio prius apud  
acta Præfecto Prætorio infinuata est, qui ex officio indicebat  
Præfidibus, ut scirent, quid, quantum & pro qua causa sit sol-  
vendum, Præfides verò hoc significabant provincialibus ante  
terminum solutionis, ut se pararent ad decretam summam sol-  
vendam, & ut omnibus innotesceret, quantum pro unoquoque  
jugero aut villis, aut prædiis aut alio quolibet, item quantum  
in auro, argento, speciebus, earumque æstimatione inferre de-  
berent; Ideoque ut omne damnum ex subitaneâ Indictione pro-  
veniens evitaretur, eoque melius ad solutionem se præpararent,  
Indictio maturè subditis significata fuit, ut probat præcipuè *l.*  
*fin. C. de Ind. ibique Perez. num. 3. & 4. & Dn. Brunn. it. Nov. 128.* Et  
cum singulis quindecim annis Indictiones per tres distinctos  
terminos juxta superius dicta præstarentur, hisce vero præter-  
lapsis novus census describeretur, ideoque non solum mos  
tempus numerandi ab indictionibus obtinuit, sed & adjectio  
Indictionum in Instrumentis recepta est, ut subditi cujusvis  
termini ad solvenda tributa constituti meliorem haberent noti-  
tiam, Cujac. *ad Nov. 149. cap. 2.* Jung. illa, quæ *inf. cap. 4. de Causis*  
*Indictionis exhibentur.*

*Indictio  
quoque de-  
notat spa-*

§. VIII. Hinc ex Indictione hoc modo consideratâ nata est  
alia Indictio, quæ est *spacium quindecim annorum ad recipienda tribu-*  
*ta institutum.* Nos Indictionem in hac Dissert. non tam in priori  
signi-

significatu, quatenus est onus seu munus subditis per Principem vel Imperatorem impositum, sed potius in posteriori consideratione aliter consideramus, quatenus videlicet est spacium illud temporis, quod erat trium lustrorum, h. e. trium quinquenniorum, quo exigebantur hujusmodi Indictiones, seu munera; Melioris tamen illustrationis gratia illa omnia præmittenda fuerunt. Sicut & in subsequenter convenientioris explicationis causa prior Indictionis significatio nequitam negligenda est. Notandum autem, quod non statim per Indictiones tempus numerari cœperit, sed tum demum, postquam anniversariæ factæ. Antea enim solebant per Olympiades tempora numerari, quarum quælibet quinque annorum cursum designabat, ante quas nulla certa historiarum aut temporum ratio habebatur, quâ de re etiam Illustris Scaliger in Eusebio suo, quem vide. Quo ritu sublato Romani propter tributa Tempus per Indictiones numerarunt, quod inde usque ad hæc nostra tempora invaluit. Quoties igitur hodiè literis aut privilegiis Romana inferitur Indictio, semper denotatur spacium trium lustrorum tempus complectens ac triplicia subditorum Romani imperii tributa designans. Atque in hoc significatu convenienter vocatur *Römische Zinszahl* / weil die Unterthanen alle 15 Jahre dreymahl haben ihre Zinse zahlen müssen.

§. IX. sed illud hic quæstionis est: Cur quindenarius ad tempus per Indictiones supputandum numerus præcisè sit constitutus, ita ut quindecim annis peractis Indictio ad primum revertatur? Fatemur sanè, quod hoc vix solidâ ratione possit decidi, cum à mero Legislatoris dependerit arbitrio. Besold. in *Thes. pract. sub voc. Römischer Zinszahl* à simili rationem dedit, dum asserit, quod, ut quindecim annorum periodo aliquid cœptum absolveretur, & in tabulas publicas referretur, nullam aliam apud antiquas hujus temporis memorias rationem reperire posset, nisi stipendia militaria, cum quindenis emeritis miles honestâ missione concessa capitationis immunitate, si vellet, solutus militiâ abire posset. Covarr. lib. 1. var. resol. c. 12. n. 5. Indictionem ex ea ratione non ultra quindecim annos extendi, sed in tria lustra divisam esse asserit, quod olim indictio certi census aut collectæ Reip. solvendæ quinto decimo quoque anno facta,

*Cur quindecim anni ad indictionem requirantur, varia referuntur sententia.*

facta, hujusque summæ solutio in tres distincta fuerit partes & tempora, ut tandem quolibet quinquennio tertia pars præstaretur; Verùm an hoc rationem constituere possit, Benevolo L. dijudicandum relinquimus. Si conjecturis iisque probabilibus uti licet, videtur distingvi Indictio in tria lustra ad exemplum ternæ lustrationis Romanæ, cum quinto quoque anno moris esset, urbem Romam lustrari, ut census solutio ad iudicium lustrationis quinto quoque anno fieret; Quapropter Varro *lib. 5. de Ling. Lat.* Lustrum inquit nominatum tempus quinquennale, à ludendo i. e. solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & tributa per Censores solvebantur. Vid. Rosin. *Ant. Rom. lib. 5. c. 17.* ibique alleg. *Dionys. Halicarn. & Liv.* Non repugnamus tamen & hanc rationem à simili deductam suis non carere difficultatibus. Lucæ de Penna rationem in *l. Indictiones C. de annon. & Trib.* propositam, quasi propterea tria lustra Indictiones continerent, quod primo Asia, secundo Africa, tertio Europa censeretur, tanquam fide historicâ destitutam non immeritò rejicit Covarr. *lib. 1. var. res. cap. 12. n. 5.*

### CAPUT III.

## De Indictionis origine & computatione.

#### §. I.

Origo Indictionis.

NON ineptè Imperator noster §. 1. *Inst. de Test. ord.* præcipit, nihil antiquitatis penitus ignorari debere, Quantum enim ad solidiorem alicujus rei cognitionem conferat antiquitatis cognitio, dici vix potest, Quare è re nostra erit, præmissa significatione Indictionis, in primam illius originem, quantum ex scriptoribus colligi potest, inquirere. Cum vero de ea variæ apud varios extant sententiæ, saltem potiores quæ aliquilibus rationibus niti videntur, in medium prolaturi sumus.

Variæ referuntur sententiæ.

§. II. Et quidem primùm Cedrenus ejus primordia refert ad tempora Theodosii M. quando inquit ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεγάλης Θεοδοσίου ἤρξαντο ἀριθμεῖσθαι αἱ ἔνδικται, quæ opinio inde fortasse manavit, quod primus feratur Theodosius ordinariam

In-

Indictionibus præstationem imposuisse, uti tradit Dn. Brunnem.  
*ad l. 2. C. de Ind.* Verùm utut hæc ita sint, non tamen videtur con-  
cludi posse, eas tunc temporis primùm fuisse inventas, cum per  
aliquot secula extraordinaria fuerit earum præstatio, ut ex dis-  
cursu *cap. preced.* patet. Alii Indictiones circa illud tempus, quo  
Constantinus M. imperio præfuit, quod contigit circiter annum  
Christi 313. ortas esse contendunt, rationemque reddunt hanc,  
quod hoc tempore auspiciis crucis prælatæ victus Maxentius,  
Christianaque religio in libertatem vindicata florentissimum ca-  
put extollere cœperit, unde cum omnes Gentilium superstitiones  
ac vanos Deastrorum cultus radicitus extirpare sibi propo-  
suerit hic Imperator, asserunt quod solennes Græcorum ludos  
in Olympicis, in quibus Diis sacrificabatur, inhibuerit, ac per  
hoc usitatum per Olympiades tempus numerandi morem sustu-  
lerit, noviterque constituerit, ut ab eo tempore, tanquam à  
nova epocha partæ tranquillitatis Ecclesiis Christi, Nicæni con-  
ventus autoritate interveniente, annorum ratio per Indictio-  
nes iniretur, quam sententiam probat Boxhorn. *in Tab. suis Chron.*  
& cum ipso plures alii.

§. III. Porrò Joseph. Scalig. *de Emend. Temp. lib. 5.* putat, ab *Communi-*  
exhibitione munerum quinquennialium usque ad vicennalia *nior*  
statutâ periodo annorum quindecim esse numerum Indictionis *proponi-*  
inventum, verùm & hanc opinionem lubrico inniti fundamen- *tur.*  
to, pluribus ostendit Besold. *cit. loc.* Quare, cum ex omnium fer-  
mè asserto Indictiones tunc sint introductæ, cum Romani uni-  
verso ferè dominati sunt orbi, ac plerasque nationes & terras si-  
bi fecere tributarias, ideò temporibus *Octavii Augusti* initium eas  
sumsisse, plerique existimant, quod ut magis confirmet, inni-  
tuntur verbis Evangelistæ, qui tempore nativitatis Christi *πρώτην*  
*ἀπογεύαφην*, die allererste Schatzung cœpisse scribit. Et sanè licet  
hac in re scriptores maximè varient, nihilque certi determinent,  
præ cæteris tamen probabilis videtur opinio eorum, qui Indi-  
ctionis originem Augusto adscribendam putant, cum is non so-  
lùm primus universo orbi tributa indixerit, *Luc. 2.* sed & com-  
putatio, ut jam patebit, hoc tempus præsupponat. Etenim pri-  
mum Indictionis terminum nemo ferè calculorum refert ad  
C tem



tempora Theodosii aut Honorii, licet iis Indictiones ordinari-  
riorum munerum naturam induerint, nec etiam ad Tempora  
Constantini, quamvis per eas tunc temporum cursus designari  
cæperit, sed potius ad tertium ante Christum natum, quo Au-  
gustus regnavit, annum.

*Appro-  
bant illam  
Icti.*

§. IV. Et hanc ultimam sententiam post Acc. *in l. 1. §. ult. C. de Just. Cod. conf.* Juris utriusque Interpretes amplectuntur, præsertim Specul. *in tit. de Instrum. edit. §. breviter. n. 5.* Quamvis enim Andreas Alciat. *lib. 8. Parerg. cap. 1.* paulò ante Justinianum censet hunc cœpisse morem, ipsum tamen refutat Covarruv. *cit. lib. 1. var. res. c. 12. num. 5.* per Chron. Comit. Marcellini, ubi ætati Theodosii Indictio adscripta est, & acta Concilii Chalcedonensis ante Justinianum celebrati, quapropter concludit, originem ab illa Indictione deducendam esse, quam Cajo Antistio & Lælio Balbo Coss. anno quarto ante Christum natum Augustus instituit, autore Dion. *lib. 55.* Et quamvis *Luc. 2.* eo demum anno, quo Christus natus est, Indictionem institutam esse dicatur, ut propterea Speculat. Lucas de Penna & alii Indictiones ab eo Edicto cœpisse asserant, Tamen Covarruv. *cit. loc. inter ipsam Indictionem & ejus executionem* distingvit, ita ut Indictionis computatio inceperit ab anno Edicti Romæ maturo consilio propositi ac decreti, non ab ejus executione, quæ demum primo anno nativitatis Christi contigit; Atque huic Covarruv. sententiæ non solum testimonium Dion. citatum, sed & ipsa computatio Indictionis suffragatur. Jung. Excell. Dn. Weigel. *in aureo Spec. Temp. Civil. cap. 6.* ubi ait: *Bei den alten Römern ist eine 15. jährige Reihe / wie etliche meinen vom Keyser Augusto, 3. Jahr vor Christi Geburt angeordnet worden / welche Indictio die Römer Zins Reihe heisset. Recepta hoc modo Indictione postmodum etiam, dum anniversaria facta est, obtinuit numeratio temporis per eam instituenda. Vid. c. 2. §. 8.*

*Compu-  
tatio In-  
dictionis.*

§. V. Consideratâ igitur Indictionum origine & præsupposito hoc principio, quod ultra quindecim annos non progrediantur, sed iis præterlapsis de novo incipiant, jam ordinis gratia ipsarum indictionum calculus considerandus erit. Qualiter vero possit investigari Indictio, habetur *in Gloss. c. inter dilectos l.*

*IX.*

IX. de Fid. Instrum. Videlicet sic procedendum, ut anno Christi addatur triennium, quia tertia Indictione seu anno quarto cycli indictionalis, juxta communio-rem antea relatam opinionem, Christus natus est, & dividatur iste annorum numerus cum additione triennii conjunctus arithmetice cum quindenario, sic is, qui remanet infra quindecim, annum Indictionis constituet. Ex gratia si facta divisione remanserit numerus simplex, erit Indictio prima, si binarius, secunda, si ternarius, tertia & sic consequenter usque ad quindecim. Si post factam divisionem nihil remanserit, Indictio erit quinta decima & ultima. Add. Covarr. cit. c. 12. qui rem eodem modo explicat: *Annis Christi, inquit, additur triennium, omnisque annorum numerus per quindennia dividitur, ut tandem annus, qui super est, Indictionem constituat, quemadmodum præter Accursium, Speculatorem & alios docet Beda lib. de nat. rer. cap. 47.*

§. VI. Admodum eleganter Excellentiss. noster Weigel. cit. loc. Indictionis computationem evoluit, cujus proinde verba & exempla huc lubet apponere, sunt autem talia: Will man wissen / was dieses oder jenes Jahr nach Christi Geburth gezelet vor eine Römische Zinszahl habe / so setzet man 3. zu der gegebenen Jahres Zahl / Die Summa dividirt man mit 15. was bleibt / ist die begehrte Zins Zahl. Zum Exempel die Zins Zahl des 1660sten Jahrs ist 13.

Denn 1660			
3			
1663	1		I 1
divid. 15	1		I 66 3 (110)
16	1		I 5 5 5
15	1		II
Bleibt 13	0		Bleibt 13.

Pergit Dn. Weig. Sind es aber Jahre vor Christi Geburth / so procedirt man verkehrt wie oben / man addirt 12. oder subtrahirt 2. was kompt dividirt man mit 15. was bleibet / zeigt die Stelle des

Jahres in der Reihe des Zins-Cirkels / aber hinter sich gezehlet /  
als in dem 3950. Jahr vor Christi Geburt ist der Römer Zinszahl  
2. Dann

Die erste Arth

adde 1950 |  
12 |

3962 | 2  
divide 15 |

30 |

96 | 6  
15 |

90 |

62 | 4  
15 |

60 |

Bleibt 2.

Die andere Arth

Subtrahe 3950 |  
3 |

3947 | 2  
divid. 15 |

30 |

94 | 6  
15 |

90 |

47 | 3  
15 |

45 |

Bleibt 2.

132  
396 (2) (264  
1555  
11

Bleibt 2.

131 (2  
3947 (263  
1555  
11

Bleibt 2.

Das

gehlet/  
Zahl

Das ist vor sich gezelet 2. die begehrt Zinßzahl. Haftenus Dn.  
Weig.

§. VII. Ut res ad oculum pateat, inquiremus in annum In- *Computa-*  
dictionis hodiernum. Currit autem annus à nato Christo 1673. *tio ulteri-*  
cui addendi tres, & erit annus 1676, hunc dividimus cum 15. *us illustra-*  
quenti modo; *tur.*

I
I 2 I
I 6 7 6 (III)
I 5 5 5
I I

Videmus hic numerum decimum quintum centies & undecies  
extare, & præter eum remanere undecim, curret itaque hoc  
anno 1673. Indictionis centesimæ undecimæ annus undecimus,  
feu ut nos loqui amamus, Indictio Undecima, die eilffte Nömer  
Zinß-Zahl. Ulterius operatio Indictionis futuri anni 1674. hoc  
modo institui debet:

1674.	I 2 2
add. 3	I 6 7 7 (III)
<hr style="border-top: 1px solid black;"/>	
1677	I 5 5 5
	I I

hic residua sunt 12. E. dicitur Indictio duodecima. Porro anni  
1677. Indictio h. m. inquirenda erit:

1677	I
3	I 3
<hr style="border-top: 1px solid black;"/>	
1680.	I 6 8 0 (II)
	I 5 5 5
	I I

hic nihil remanet E. erit Indictio quinta decima. Si subjiciatur  
subsequens Servatoris nostri annus 1678. apparebit iterum se of-  
ferre Indictionem primam.

1678	I
3	I 3 (I)
<hr style="border-top: 1px solid black;"/>	
1681	I 6 8 1 (III)
	I 5 5 5
	I I

hic numerus residuus simplex indicat Indictionem primam.

§. VIII. Probè autem notandum est, quod per Indictio-  
nem

C 3

Das

nem non designetur ordinaria temporis computatio, adeoque ex usu recepto non solet ipsa Indictio h. e. tempus tria lustra complectens instrumentis inferi, sed cujusvis Indictionis solummodo annus currens, qui analogicè hodiè Indictio dicitur, ita ut anno Indictionis primo dicatur currere Indictio prima, secundo secunda, & ita porro usque ad numerum determinatum, uti itidem tradit Dn. Weig. *cit. loc. qu. ait*: Es sind aber nicht so wohl nach dieser Reihen ihrer Anzahl / wie nach den Olympischen Jahr Reihen die Zeiten ordentlich nach einander gezehlet / als nur die sonst lauffenden Julianischen einzelnen Jahre mit einer Zahl von dieser Zins Reihe / welche jedes Julianische Jahr betroffen / bezeichnet worden. Accuratè autem si loqui velimus, dicendum foret, annum nostrum millesimum, sexcentesimum, septuagesimum tertium complecti Indictionem centesimam undecimam, ejusque annum undecimum; Usu verò fori id non observatur, sed absorbetur numerus Indictionis currentis & exprimitur solummodo annus illius Indictionis. Alias memoriae gratia modus computandi & inveniendi Indictionem his inclusus est versiculis:

*Si per quindenos Domini divideris annos,  
His tribus adjunctis, Indictio certa patebit.  
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.*

ad quorum meliorem intellectum præcipuè conducit, quod supra fusius monitum, annum Indictionis primum dici Indictionem primam & sic consequenter, usque ad quintum decimum annum, qui decimæ quintæ indictionis nomen sortitur.

*A quo  
mensi in-  
cipiat no-  
vus annus  
Indictio-  
nis.*

§. IX. Omnis autem Indictio, quod nostri Notarii benè observare debent, uti à Septembri incipienda *l. fin. C. de ann. & trib.* ita etiam, nisi anni periodum excedere velint, eodem rursus finienda est. Rationem hujus rei hanc tradit Speidel. quod eo Constantino M. per signum Crucis victoria de tyranno Maxentio indicata & obtenta fuerit. Probabiliorem reddit Wehner. *in Obs. pract. sub voce Römer Zins Zahl* / qui putat, factum hoc propter commodissimum totius anni tributa solvendi tempus; Isto quippe adest ubertas fructum eoque melius ac faciliùs solvi possunt debita, quemadmodum hodieque plurimis in  
locis

locis videmus autumnale tempus exquirere onerum civilium præstationem maximam.

§. X. Sed de eo hic controvertitur, à quo præcisè *die Septembris* initium capiat Indictio? Nonnulli terminum ejus primum dicti mensis diem constituunt, quod eo olim tributorum exactores proprium munus auspicati fuerint, & hoc etiamnum in imperio orientali frequentatur, ac à quibusdam à Covarr. citatis approbatur. Pontificii, ne diversam tempus distingvendi rationem constituent, Indictionis cursum ordiuntur à tempore nativitatis Christi, ac punctum ejus à quo statuunt Cal. Januaræ ut cum ordinario anni lapsu simul Tributarius seu Indictionalis currat ac renovetur. Hoc autem, quantum ex antiquitate constat, vix ante seculum septimum invaluisse colligimus, quandoquidem in actis Ecclesiasticis Sexta Synodi Constantinopoli habitæ idem circa initium Indictionis servatum fuit à Pontificiis tabellionibus, quod à Cæsareis. Unde rectius nostrates putant, ab *Octav. Cal. Octobr. h. e. à quarto vicesimo Septembris die* primum Indictionis momentum currere: annoque præterlapso eodem iterum finiri; Hoc enim non solum probatissimis probatur Viris, Vid. Excell. nostr. Weig. *c. l. Bed. de natur. rer. c. 47. Joan. Lucid. lib. de vero die Pass. Christi c. 7.* Sed & usu apud nos receptum est. Unde & omnes tabelliones Cæsarei annum Indictionis non æqualiter dimetiuntur cum anno Juliano, sed potius quartum vicesimum Septembris diem, tanquam terminum Indictionis à quo, studio observant. Conf. Covarr. *cit. lib. 1. Var. Resol. c. 12. num. 6.* qui hæc fusius explicat. Et ex hoc diverso computationis modo nascitur divisio Indictionis in *Constantinopolitanam, Pontificiam & Civilem.* Constantinopolitana cursum suum orditur à primo Septembris die; Pontificia à Calendis Januariis; Civilis vero, quæ penes nos observatur, à quarto vicesimo, ut dictum, Septembri.

*A. modo  
compu-  
tandi ori-  
tur que-  
dam divi-  
sio Indi-  
ctionis.*

### CAPIT IV.

## *Indictionis causas designans.*

§. I.

**P**erlustratâ Indictionis Romanæ origine & calculo ad perfectiorem illius cognitionem non parum faciet, si in ejus causas efficiens.

*Causa In-  
dictionis  
sac efficiens.*



cas inquiramus, cum scire sit semper causas cognoscere. Aristot.  
*lib. 1. post. c. 2.*

§. II. *Efficiens* itaque *Indictionis causa* fuit *Majestas*, quæ ad promovendum publicum Romani imperii bonum talem munerum præstationem subditis imposuit, ut esset subsidium aliquod extraordinarium, quod secundum vires cujusque patrimonii solveretur. Solus enim Imperator Indictionis jus ita sibi reservavit, ut nec Præsides, nec supremi Magistratus quicquam tributi imponere queant, idque ei competit ratione Supremæ Jurisdictionis, quâ mediante pro publicâ necessitate præter præstationes ordinarias etiam extraordinarias rectè exigit. *Quæstionem istam: An Princeps pensiones extraordinarias necessitatis casu aliquandiu durante in Legis necessitatem rectè mutet?* nostram non faciemus, adducemus saltim verba Boxhorn. *qui lib. 1. cap. 10. num. 56. Pol. vult*, quod tributa semel imposita facile tolli non debeant, licet causa & necessitas exigendi fuerit sublata. *Jung. Klock. de Contrib. cap. 2. n. 99. & Petr. Ant. de Petra de Potest. Princ. cap. 4. n. 88.* Hodie in nostrâ Republicâ talismodi munera imponit (1) Imperator in imperio cum consensu Statuum necessitate exigente ad pacem & tranquillitatem conservandam. (2) Status imperii suis subditis ex Jure Superioritatis, cum consensu tamen Statuum Provincialium (3) ex concessione singulari Imperii Nobiles liberi ac immediate imperio subjecti. *Dn. Fritsch. in Man. Jur. publ. sub voc. Collecta.* Sicut vero *Majestas* est causa efficiens Indictionis in hoc priori significato, ita quoque erit in postrema significatione, quatenus denotat certum spacium temporis, ac trium lustrorum intervallum, quod præter alios textus nostra *Nov. 47. cap. 1.* abunde demonstrat, ubi ab Imperatore nostro Justiniano præcisè Indictionum enumeratio & adjectio in Instrumentis requiritur, Patet simul hoc ex illis, quæ de Origine Indictionis supra fusius exhibita sunt.

Quis penes imponat collectas.

Quenam causa Indictionum impulsiva.

§. III. *Causa Indictionis impulsiva*, quat. scil. denotat spacium temporis quindecim annis constans, non tam fuit nova Temporum distinctio, quippe quæ antea per Olympiades perinde ut nunc per Indictiones obtinuit, quam hæc ut subditis præsertim in longè remotis provinciis degentibus tributorum solvendo-  
rum

rum tempus significetur. Tantus enim tunc temporis erat populo-  
rum numerus, tanta provinciarum amplissimarum ac longè  
lateque diffitarum copia, ut vel in solâ tributorum exacti-  
one integer fuisset insumendus annus, nec tamen sine magna la-  
bore variaque incommodorum præensione colligi omnia po-  
tuisent. Quare hujus rei intuitu, & ut pluribus exceptionibus  
obviam iretur, nullum salubrius putarunt arripi posse reme-  
dium, quàm tributorum solutioni certum temporis intervallum  
præfiniendo, Indictionemque dictâ ratione introducendo.  
Fuit hoc è re tam subditorum quàm fisci; Illi enim curam rei do-  
mesticæ eò potuerunt dirigere, ut sub cujusvis lustri finem one-  
ra lege definita sine substantiæ deminutione præstare value-  
rint: Fiscus autem unoquoque quinquennio in tantum fuit au-  
ctus, ut non solum omnibus hostibus resistere, sed & longe  
splendidius adornari potuerit imperium. Vid. Wehner. in *Obs.  
pract. sub voc. Römer-Zins zahl.*

§. IV. Objectum Indictionis in posteriori significatu est *Objectum*  
tributum triplex, quod pendebatur in auro, argento & ferro. *Indictio-*  
Etenim Indictio non ob id in tria lustra fuit distincta, quod *nis.*  
primo Asia, secundo Africa, & tertio Europa censeretur, ut pu-  
tat Lucas de Penna in *l. Indictiones C. de ann. & trib.* quæ sententia  
in antecedentibus jam tum notata fuit, sed quod triplex tributi  
genus præstandum fuerit; Videlicet lege cautum erat, ut sub  
primi lustri finem penderetur *Aurum*, quod, cum sit nobilissima  
metallorum species, ita dabatur in Symbolum supremæ potesta-  
tis ac Dominationis, atque pro conservandâ Republica, vel, jux-  
ta alios, pro simulacris constituendis reponeretur in ararium.  
Secundo lustro finito præstandum erat *Argentum*, ut ab eo mili-  
tibus præberentur stipendia, nec per hoc ararium deminuere-  
tur; Et denique tertio *æs & ferrum* tam ad novorum armorum  
fabricationem quàm attritorum reparationem. Atque ab hoc  
triplici Indictionis objecto alia Aurea, alia Argentea, Ferrea  
alia nuncupata est Indictio. Hoc assertum post Speculatorem  
§. 2. *Col. 2. de Edit. Instrum.* approbant Bertazol. *de Claus. instr. concl.*  
4. Speidel. *ad voc. Indictio.* Befold. & Wehner *sub voc. Römer-Zins-  
zahl.* Illud tamen, quamvis sine ulla ratione probabili adjectâ,  
D  
reji-



Effectus  
Indictionis.

rejecit Covarr. *cit. l. 1. Var. Res. c. 12. num. 5.* ut exinde appareat, nec hanc distributionem Indictionis per præstationem anni argenti & æris ab omnibus approbatam esse. Vid. Dn. Weig. *cit. loc.*

§. V. Ad formam Indictionis pertinet modus computandi in cap. antecedenti fusiùs traditus. Effectus denique Indictionis temporis spatio certo constantis itidem unius generis haut est. Nam (1) operata est apud omnes nationes, quas Romani sibi fecere tributarias, justam statuto tempore tributorum solutionem, quæ alias propter difficultatem transitus vix potuisset obtineri. (2) per eam simul temporum cursus designatus est accuratior, unde eam quoque Imperator noster adhibuit in *l. 2. C. de Just. Cod. conf. §. ult. ibi: Septimæ indictionis.* Et denique (3) Instrumenta sunt convalidata & adhuc hodiè convalidantur, ut patet ex Const. Maxim. Quapropter Imperator noster appositionem Indictionis in Instrumento adeò requirit, ut extra eam illud suspectæ reddatur fidei, per *Nov. nostram 48.* ubi inter solennia Instrumenti hæc Indictio refertur. Convenienter hoc illustrat prælaudatus Dn. Weig. *cit. loc. in verbis: Und damit man seiner desto eher sich zu erinnern habe / so ist befohlen worden / daß die Jährliche Zinß Zahl allezeit den Gerichts und andern Acten von den Notarien einverleibet werden sollen / welches noch heutiges Tages in acht genommen wird.*

## CAPIT V.

### *De Usu Indictionis hodierno.*

§. I.

Confirmatur (1) usus Indictionis ex receptione juris Civilis.

NATURÂ Indictionis juxta duplicem ejus significatum ea, qua potuit, brevitate huc usque explicata, superest, ut videamus, an & ejus, quat. in posteriori significatione considerata est, in nostra quoque Germania aliqua sit utilitas. Esse autem & hodiè magnum Indictionis usum primò constat ex Juris Civilis Romanorum in fora nostra receptione, de qua paucula hic apponere lubet. Ex quo namque illud post diutinas tenebras, quibus statim post obitum Justiniani latuit, tandem Irnerii opera illustratum ac a summa æquitate primoribus Italiæ commendatum non solum in scholas, sed & fora Italiæ recipi ac usu approbari

bari cœpit, noluerunt Germani, qui tunc uni cum Italis Imperatori erant subiecti, alienis vivere Legibus; Quare seculo quinto decimo, quo usus hujus Juris in Italia ad culmen pervenit, passim cœperunt in Germania Scholæ Regiæ ad exemplum Italicarum fundari; Proinde ut idem, quod in Italia floret, jus in omnibus quoque Germaniæ finibus innotesceret, vocatis ex Italia Juris Professoribus magis magisque ejus autoritas in Germania est aucta, ut non solum in Scholis publicè doceri, sed & tacita Imperatorum conniventia in fora recipi cœperit, quod tamdiu usu frequentatum fuit, donec tandem expressum Imperatorum ac Statuum Imperii Decretum accessit, ut secundum illud ubique causæ dubiæ deciderentur, Vid. Ord. Cam. *de anno 1500. §. Ordnen / setzen etc. verb. nach laut gemeiner beschriebenen Kayserslichen Rechte. Add. Lehmann. in Chron. Spir. l. 1. cap. 21. p. 337. Dn. Conring. de Orig. Jur. Germ. c. 23. & c. 32.* Quemadmodum igitur hoc jus tam ad causas decidendas, quàm ad actiones ritè ac solenniter peragendas in fora nostra receptum est; Ita non potuere non solennia eo determinata nec honestati repugnantiâ, inter quæ & Indictio est, cum isto jure recipi, ususque eorum ad nostra tempora accommodari.

§. II. Præter hanc Juris Romani receptionem usum Indictionum modernum confirmat ipse Carolus IV. in Proœmio Aureæ Bullæ *sub fin.* in verbis: *Sub anno Domini millesimo, trecentesimo, quinquagesimo sexto Nonâ Indictione, IV. Idus Jan. Regnorum nostrorum anno decimo, Imperii verò secundo.* In Germania Edit. A. B. hoc ita redditum est: *Im Jahr des HErrn Tausend / Dreyhundert / Sechß und funffßig / der Bierdten Indiction am Bierdten Idus oder neunden Tag des Monats Januar. unsers Reichs im Zehenden / und Kaysertthumbs im ersten Jahre.* Et ita legitur in novissima Editione anno 1660. typis excusa; Quia autem exemplar Latinum ab hoc Germanico expresse recedit & nonam Indictionem supponit, quæ etiam anno millesimo, trecentesimo, quinquagesimo sexto juxta operationem arithmeticam convenit, ideoque palàm est, mendum quoddam ab incuria transcriptorum in Germ. vers. irrepisse, Dn. Bechm. *ad Pand. Tit. de Orig. Jur. num. 76.* Alias, quod Indictionum tunc temporis quoque

(2)

Per Auream Bullam.

magnus fuerit usus, exinde sufficienter patet, quod Carolus IV. in A. B. eam annotaverit.

(3)  
Per Con-  
stitutionem  
Maximi-  
liani.

§. III. Denique usum Indictionis præcipuè confirmat Con-  
stitutio Maximiliani *de anno 1512. §. 3.* cujus verba hæc sunt: Und  
nach dem von gemeinen Rechten / Brauch / Übung und Gewohn-  
heit eingeführet ist / daß in Aufrichtung der offenen Instrumenten  
und ihrer Solennitäten die Form gehalten: Nämlich daß im An-  
fang nach Anrufung Göttliches Nahmens / von dem alle Gut-  
that kompt / die Jahr-Zahl unsers Heils / Römische Zins Zahl In-  
dictio genand / der Nahme des Obersten Fürsten / darnach Mo-  
nath / Tag / Stunde / Wahlstadt / und an welchen Orth derselben /  
dann der Inhalt beschehener Handlung / etc. gesetzt werde / darumb  
so gebieten und ordnen wir / dieselbe Form forthin in acht zunehmen /  
nichts desto minder vorbehalten / was sonsten von eines jeden Orts /  
Gewohnheit zuhalten were / etc. His verbis Maximilianus præce-  
ptum de Indictionibus curatè adhibendis nostra *Nov. 47. in  
Proem. ibi. Consules etenim & Indictiones, & c. i. ibi: Et tertio loco In-  
dictionem* propositum expresse renovat, in simulque totius No-  
vellæ dispositionem approbat, ceu ex *collat. nostr. c. 1. §. ult. cum  
cit. Const. Max. luculenter patebit. Accedit quotidiana expe-  
rientia, cum singulis Calendariis, quæ in manibus nostris ver-  
santur, Indictionem ex hac procul dubio ratione in frontispicio  
circa temporum numerationem à Compileribus eorum adje-  
ctam esse videamus.*

Quibus in  
causis In-  
dictio ad-  
hibeatur.

§. IV. Quibus autem in causis usus Indictionis potissimum  
emineat, multis inquirendum non est; Ultrò quippe liquet tam  
ex Novella Justiniani, quàm Constitutione Maximil. quæ clau-  
sulas solennes Documentis h. e. Instrumentis inferendas præscri-  
bunt. Altioris momenti quæstio est; Utrum omnibus Instru-  
mentis adjicienda sit Indictio? quod quidem cit. A. B. svadere  
videtur, indistinctè tamen neutiquam affirmandum erit. Quæ-  
dam enim literæ ex sua natura tantæ sunt efficaciam, ut non opus  
sit, majoris validitatis ergò omnia solennia jure civili determi-  
nata addere. Tale est Instrumentum publicum absolutè ac sim-  
pliciter tale, quod immediatè publicâ autoritate est munitum,  
sive apud acta publica, Magistratum scilicet, formatum, sive  
ex

ex archivo publico prolatum fit *l. fin. C. de re jud. l. 30. cum l. seq. C. de donat. l. 10. de prob.* Nec obstat, quod Justinianus in *Const. de Just. Cod. conf. circ. fin.* Indictionem adhibuerit, & novissimè Carolus IV. in *Pragmatica Sanctione sc. A. B.* idem observaverit, siquidem illud non ex necessaria quadam legis dispositione, sed ex merâ voluntate majoris solennitatis gratia, & ut rei gravitas ostendatur, factum esse probabiliter colligimus. Nam judicis auctoritas omnes solennitates supplet, ut in judicialibus Documentis necessaria non sit, Wesenb. in *Par. ff. b. t. num. 5.* Quadam vero ejus sunt conditionis, ut ex se sua natura exiguam habeant auctoritatem, ut sunt omnia instrumenta privata, de proprio gesto à persona privata scripta, quæ cum non sint ad plenam rei fidem probandam confecta, non possunt per nudas solennitates Legibus præscriptas convalidari, aut plena probatio iis attribui. Hinc quamvis Indictionem Epistolæ vel chirographo vel alii Instrumento privato inferueris, vix tamen majorem probandi vim ei addes, quia per hoc nec publici nec solennis Instrumenti naturam induit, sed manet instrumentum privatum, contra scribentem quidem, non vero pro scribente probans. *l. 5. l. 6. l. 7. C. de Probat. ibique Dn. Brunn. Nov. 48. c. 1. §. 1. Dn. Carpz. Part. 1. Const. 17. def. 34.*

§. V. Quare remotis publicis ac privatis solum agemus de *In Instru-*  
quasi publicis ac solennibus à Notario confici solitis Instrumen- *mentis à*  
tis. Est autem Instrumentum qs. publicum scriptura in forma *Notario*  
solenni ac probante per Notarium publicum ad hoc requisitum *conficien-*  
ac rogatum confecta. Dividitur in *Protocollum* sive Imbreviatu- *dis Indi-*  
ram, cujus mentio fit in *Nov. 44. c. 2. & Transsumptum* seu Avthen- *etio neces-*  
ticum & Originale. Illud nihil aliud est, quam summaria quæ- *saria est.*  
dam totius actus annotatio memoriæ causa facta, ut postea ex-  
inde Instrumentum in solenni conficiatur forma. Hoc vero di-  
citur, quod ex Protocollo solenni forma h. e. præfationibus &  
clausulis consuetis desumptum non summarie, sed plenè rem  
gestam exponit. Quamvis verò Protocollo fidem quoque me-  
reatur, adeò, ut & illi, si cum Transsumpto pugnet, & requisita  
in *Const. Max. de anno 1512. §. Und wiewohl ein Protocol & c. pro-*  
posita habeat, standum esse pronunciaverint Domini Scabini

Lipsienses apud Carpz. p. 1. Const. 17. def. 44. Tamen ad illud Indictio nequitiam, sed demum ad Transumptum ejusque solennitates & clausulas consuetas pertinet. Personæ à quibus hæc solennia instrumenta confici debent, vocantur Tabelliones s. Notarii l. 17. C. de fid. Instr. l. 2. C. de Eunuch. Et hi in jure Justiniano à tabulariis Nov. 44. pr. distinguntur: Tabularii namque propriè negotiis civitatum aut provinciarum inserviunt, earumque chartas & rationes conficiunt, vid. l. 1. & l. 7. C. de Exact. trib. l. 1. C. de immun. nem. conced. Hanc autem potestatem conficiendi Instrumenta Notarii aliis mandare nequeunt, arg. l. 1. de off. ejus cui mand. est Jdict. Propriè quoque loquendo Jurisdictionem voluntariam non habent, secus ac opinatur Gail. 1. obs. 1. num. 13. sed specialiter tantummodò autoritate Imperatoria sunt creati, ut de actibus voluntariæ Jdictionis instrumenta conficiant, Vid. Dn. Hahn. ad Wesenb. de fid. instr. num. 4. Et ex his sufficienter patet, quod Doctor Juris instrumentum tale nequitiam conficere possit, quamvis hoc Berlich. p. 1. Dec. 43. num. 50. ex hoc principio, quod qui plus possit, etiam minus possit, asserat, ob id refutatus à Carpz. lib. 6. Resp. 18.

Requisita  
Instrumenti  
à Notario  
conficiendi  
proponuntur.

§. VI. Conscribi potest Instrumentum à Notario in qualibet materia, sive in pergameno, sive in papyro, perinde ut Testamentum, juxta §. 12. Inst. de Test. ord. Licet vero juxta Constitutionem Maximil. de anno 1512. §. item die Notarien 16. propter majorem durationem in membranis scribendum sit, attamen & in papyro fieri posse, inter alios testatur Reyger. Obs. Mynsing. Cent. 1. obs. 80. adeò ut non tam strictè prædicta Constitutio observetur. Ad formam vero Instrumenti quasi publici sequentia in dictâ Const. Max. præscripta solennia requiruntur: Videlicet (1.) auspiciandum est Instrumentum ab Invocatione nominis Divini; Sic enim Max. ait: Daß im Anfang nach Anrufung Göttlichen Namens. De Jure Civ. aliud obtinet, prout arg. Nov. 47. c. 1. testatur Emeric. à Rosbach. in Prax. Civil. tit. 62. num. 5. ubi insimul hoc addit, illam invocationem omissam non vitare Instrumentum, qua in re ad usum fori provocat. Sed melius forsitan erit, ad disputationes evitandas illam adjicere, propter dictam Constit. Imperialem. (2.) ponendus est annus Servatoris nostri

nostri, die Zahl Zahl unsers Heyls (3.) nomen Imperatoris der Name des  
 Obersten Fürsten (4.) Indictio, vulgo Römer Zins Zahl (5.) Tempus h. e. men-  
 sis, dies & hora. (6.) Locus in genere & in specie, h. e. loci locus, die Wahlstadt  
 und an welchem Ort derselben (7.) Summa negotii. (8.) Testes eorumque o-  
 mnium manifesta descriptio. (9.) Notarii scriptio, subscriptio & corroboratio, qui  
 non agnationis suæ, sed Notariatus sigillum apponere debet, cit. Const. §. die  
 Notarii sollen. (10) denique rogatio Notarii seu facti commissio, non quidem  
 de Jure Civili, sed dicta Const. requiritur, cit. §. Und nach dem. Vid. Dn. Hahn.  
 ad Wesenb. de fid. Instr. Dn. Eckolt ad ff. de fid. Instr. §. 6.

§. VII. Ex his Instrumenti quasi publici requisitis manifestum est, neces-  
 sario in iis Indictionis faciendam esse mentionem. Etenim non alia de causa hu-  
 jusmodi instrumenta publica sunt, aut plenam probandi vim merentur, quam  
 ob formam solennem Legibus præscriptam, quæ si deficiat, vix majorem quam  
 Instrumenta privata fidem aut probationem facient, Wehn. in Obs. pract. sub Soc.  
 Römer Zins Zahl. Inde sequitur (I) quod, nisi consuetudine aliter receptum  
 sit, omissione Indictionis vitietur Instrumentum, pertinet enim, ut jam dictum,  
 ad formam Instrumenti, in qua si quid omissum fuerit, Instrumentum nihil  
 probat. Itaque si infirmatur omissione Signeti Notarii, omissione loci, tempo-  
 ris, aliarumque solennitatum, Carpz. 3. Resp. 55. certum & illud erit, vitari etiam  
 omissione Indictionis, quia pro hac æque ac aliis solennibus æquales rationes  
 militent. Imò in tantum Indictionis neglectu vitietur instrumentum, ut quam-  
 vis Notarius spacium pro Indictione adjicienda reliquerit, vel Indictionem qui-  
 dem adiecerit, annum vero ipsius non suppleverit, idem quoad nullitatem In-  
 strumenti obtineat. Ruin. l. 4. Consil. 23. n. 4.

§. VIII. [II.] Non solum omissione, sed & erroneâ adscriptione infirma-  
 tur instrumentum uti testatur Umm. ad Proc. Disp. 17. th. 3. n. 13. Ita si ex Nostra-  
 ribus quispiam cursum Indictionis extendat ultra statutum terminum, quo fini-  
 tur, v. g. ultra 24. Sept. videtur hoc ex crasso ac supino juris errore facere, adeo-  
 que hæc Indictionis apposito quæ fallax est, non confirmat, sed infirmat instru-  
 mentum. Nec juvabit eum Pontificiorum supputatio, juxta quam nihil erroris  
 commissum videtur, quoniam nos non Pontificium, sed civilem computandi  
 modum tam hic quam alias sectamur. Si quoque Indictionis annus per errorem  
 appositus minime conveniat anno Domini, præsumendus est potius error  
 in indictione, quam anno Domini, cum is facilius quam Indictio ho-  
 minibus notus sit, Cov. lib. 1. Bar. res. c. 12. Et quamvis (III.) ex annis apposis  
 dignosci possit Indictio, nihilominus tamen necessaria est expressa ejus mentio,  
 ita ut ea vel implicite adjectâ vel plane omisâ Instrumentum vitietur, ob id, quia  
 pertinet ad partes Instrumenti essentielles. Eadem ratione videri posset superflua  
 solennitas Signeti Notarii appositio, cum scriptio, subscriptio ac Sigillo  
 consueto sufficienter corroboratum appareat; Verum quia & Signeti adjectio  
 refertur inter partes Instrumenti essentielles, expresse peræque ut Indictio adji-  
 ciendum erit.

§. IX. Hinc nec (IV.) Princeps potest de potestate ordinariâ vitium In-  
 dictionis stantibus requisitis cit. Max. Const. supplere, uti tradit Natta Cons. 47.  
 l. 1. num. 4. Ordinaria enim potestas Principis, quæ ei circa Instrumentorum  
 confirmationem competit, subsistit tantum in solennibus externis formam In-  
 stru-

Omissa Indi-  
 ctione vitia-  
 tur Instru-  
 mentum.

Etiã erro-  
 nea adjectio-  
 ne.

Licet ex an-  
 nis apposis  
 dignosci possit  
 Indictio.

An Princeps  
 possit supplere  
 vitium Indi-  
 ctionis.

94 1734  
Instrumenti essentiali non concernentibus; Ad ea autem, quæ ipsam rei substantiam concernunt, uti est Indictionis adjectio, non est regulariter extendenda, nisi consuetudine loci aliud observetur. Atque ex his (VI.) generale conclusum deducimus, quod hodie tamdiu pro usu Indictionum sit standum, quamdiu ex stylo fori non apparet, quod specificè Indictionibus & Maximiliani Constitutioni sit derogatum. Quæ enim Jure Civili præscripta, ac novis Imperii Constitutionibus approbata & confirmata sunt, illa præcise sunt observanda, donec jure speciali iis aliquid derogetur.

Contraria  
Indiction.  
adjiciuntur.

§. X. Contraria Indictionis sunt I. Consuetudo specialis cujusdam loci illi derogans, quam confirmavit Maxim. cit. *Const. Von Unterricht der Notarien §. Darumb so gebieten und ordnen wir / in verbis: was sonst von eines teden Orts Gewohnheit zuhalten were / etc.* Siquidem hactenus dicta semper hoc modo proposita sunt, Nisi consuetudo in contrarium appareat. II. Expressa Superioris abrogatio. Quamvis enim olim propter exsolutionem collectarum & accuratiorem temporum computationem Indictio sua constiterit utilitate, nihilominus tamen mutatis temporibus, aliave substitutâ collectarum præstatione, hæc quoque Indictio, quæ alias Juris solummodo positivi est, & quoad tempora moderna non adeo magnam sibi vindicat utilitatem, abrogari poterit, Interim tamdiu, uti jam dictum, pro usu Indictionis pronuntiandum, usque dum specificâ abrogatione vel consuetudine, vel etiam lege factâ expresse constet. Sicut vero lege publica Imperii & Constitutione Maximiliani approbata; Ita quoque non nisi lege publicâ imperii abrogari poterit, de cujus formâ quid hodie requiratur, cum Tob. Paurmeister lib. 2. de Jurisd. Imper. c. 2. aliisque citatis autoribus demonstrat Dn. Philipp. in usu Pract. ad Inst. lib. 1. Ecl. 3. Add. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Class. 5. c. 6.

Et hæc pro instituti nostri ratione de Indictione Romana dixisse sufficiant. Si fortassis exigua hujus materiæ evolutio tibi B. L. non in totum arriserit, spero tamen, ex parte tibi ob intermixtas ex Jure Rom. antiquitates non displicituram, facileque te omnia in meliorem partem interpretaturum. Interim veluti cum Divini auxilii imploratione hunc laborem auspiciati sumus; Ita cum debitâ gratiarum actione pro benevolâ assistentiâ ac concessis viribus eidem ultimam manum imponimus.

### Corollaria.

1. Actiones in rem scriptæ personales sunt.
2. Ex contractu propter dolum dantem causam contractui nullo etiam dominium transfertur.
3. In prædiis rusticis actio finium regundorum locum non habet.
4. Per conditionem causa data causa non secuta factum præstitum secus ac opinatur Schnobelius repeti nequit.
5. Reservationes mentales in promissionibus detestanda sunt.
6. Non committi mendacium, etiamsi infanti aut amenti aliquid dicatur, quod falsam habet significationem, communiter statuitur.
7. In questione: An citra mendacii culpam reus delictum cujus insimulatur: negare aut fictis argumentis eludere queat? Plurimi non quoad damnum datum, sed quoad reatum affirmatiæ respondent.

W. M.

M.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



ver  
mi  
qui  
sua  
plu  
por  
nia  
in  
tato  
neo  
Bre  
Qu  
re  
pra  
pra  
per  
O  
hab  
mis  
qua  
mu  
hil  
ris

